

temporis intervallo Antistitis ordinantis arbitrio separatis, non servata Interstitiorum lege, nec requisita ad hoc ab iis, qui initiantur, suorum respective Ordinariorum Latinorum licentia sive dispensatione.

XVII. At cum illis Graecis seu Albanensibus, qui domicilium habent seu alias commorantur in ea Provincia, in qua Episcopus ritus Graeci solet sacras ordinationes exercere, ad quem propterea sine gravi incommodo per temporum intervalla accedere possunt, ab interstitiorum lege minime dispensamus, praeterquam cum Alumnis et Convictoribus ritus Graeci Collegii Graeci Urbis et Italo-Albanensium in Calabria et Sicilia, si eorundem Collegiorum necessitas vel utilitas, arbitrio S. R. E. Cardinalis Administratoris et Protectoris praefati Collegii Graecorum Urbis et Episcopi praesidentis seu Rectoris utriusque Collegii Italo-Albanensium praedicti respective pro tempore existentium exegerit, ut praefati Alumni et Convictores absque temporis intervallo tribus diebus festivis, non tamen continuis, ut praefertur, ad Ordines promoveantur; quo casu eos sic initiari posse plenam facultatem facimus atque concedimus.

XVIII. Illis autem, qui non servata Interstitiorum lege, sunt hactenus bona fide ordinati, ex Apostolica benignitate etiam concedimus, ut in susceptis Ordinibus ministrare et ad majores etiam servatis servandis ascendere absque alia dispensatione valeant.

XIX. Quod tamen *de aetate* Ordinandorum a Sacrosancto Tridentino Concilio praescriptum est, omnino servari volumus. Nullus proinde ex praedictis Graecis seu Albanensibus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum suae aetatis annum absque Apostolica dispensatione pro-

moveatur. Praefatorum autem Graecorum Praesulum conscientiam oneramus, ut dignos dumtaxat, et quos literis et iis, quae ad Ordines exercendis pertinent, bene instructos esse noverint, ad sacra ministeria assumant.

XX. Ut in Ordinibus conferendis quaelibet rituum confusio et commixtio penitus tollatur et unius ritus Antistes alterius ritus Clericos initiare in posterum minime valeat, sub perpetuae suspensionis a Divinis poenis prohibemus, ne Latinus quicumque Episcopus etiam subjectos suae jurisdictioni Graecos, neque Graecus quilibet Antistes Latinos quovis praetextu, sine speciali Sedis Apostolicae licentia ad primam Tonsuram vel unum Ordinem sive minorem sive majorem promovere praesumat; alioquin tam Ordinans quam Ordinatus perpetuam, ut praefertur, suspensionem se subituros intelligant.

XXI. Maxime autem neque permitendum neque ullo modo tolerandum, ut Latini ex Latinis progeniti ac latino ritu educati, qui continentiam profiteri nolunt, juxta ritum Graecum, sub spe retinendi Uxores, ad Sacros Ordines a quocumque Antistite quavis auctoritate fulgente promoveantur tam in locis, in quibus non sunt Populi Graeco ritu viventes, sed Latini, quam in locis, in quibus sunt Populi, qui a Graecis antiquitus fuerint oriundi seu a Graecis originem ducant vel alias retroactis temporibus ritum Graecum servaverint, seu apud illos vel in eorum aliquibus Ecclesiis ritus hujusmodi ab antiquo hactenus fuerit observatus.

XXII. Cum iis tamen Italo-Graecis, qui ad hanc diem vel propter antiquam consuetudinem vel propter quaedam sibi, ut ajunt, a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris concessa privilegia, quibus permittebatur Episcopis Latinis, ut Graecos sibi sub-

jectos vel ipsi ordinarent seu ab aliis tam Graecis quam Latinis Episcopis ordinari facerent, ab Episcopis Latinis bona fide et absque dispensatione Apostolica ad clericalem Tonsuram vel minores seu majores Ordines sunt promoti, cum animo tamen proprium Graecum ritum retinendi et absque actuali Latini ritus in susceptis Ordinibus exercitio, per praesentes nostras hac vice tantum dispensamus, ut eis liceat in suo Graeco ritu permanere, in eoque ad ultiores Ordines (dummodo per suum Ordinarium approbati fuerint) a Graeco Episcopo promoveri: per easdem nostras expresse prohibentes, ne quid hujusmodi de caetero vel a Graecis ipsis vel a Latinis Episcopis inconsulta S. Sede attentetur.

XXIII. Insuper ut omnibus circa praefatas Italo-Graecorum hujusmodi per Latinos Praesules ordinationes controversiis ac dubiis opportuna ratione obviamus, hac nostra Constitutione decernimus et declaramus, quod, si Episcopus Latinus sive Ordinarius Italo-Graecis primam Tonsuram vel Ordines minores ritu Latino conferat, cum dispensatione Apostolica, ita ut Ordinati ab illo in suo Graeco ritu ministrare debeant (quod ex defectu Graecorum Praesulum per Sedem Apostolicam concedi solet), licite possit idem Latinus Ordinarius literas dimissoriales Italo-Graecis hujusmodi a se vel ab alio Latino Praesule, ut praemittitur, Ordinatis concedere, ut ad Sacros Ordines Graeco ritu absque alia dispensatione Apostolica promoveantur.

XXIV. Si vero absque Apostolica dispensatione Italo-Graeci hujusmodi a Latino Episcopo ad aliquos Ordines ritu Latino promoverentur (id, quod illicite tam ab Ordinate quam ab Ordinatis fieret, utpote huic nostrae Constitutioni contrarium), Graeci Clerici hujusmodi sic latino ritui alliguntur, ut ab eo ad Graecum redire amplius

non liceat sine Apostolica dispensatione, neque Latino Episcopo seu Ordinario amplius fas sit Graecum Clericum a se, ut praemittitur, Latino ritu in minoribus Ordinibus constitutum, cum literis dimissorialibus ad Graecum Antistitem remittere, ut ab eo ad Sacros Ordines graece promoveatur sine dispensatione Apostolica, sed debeat illum potius, siquidem idoneum judicaverit, post obtentam absolutionem a suspensione vel ipse ritu Latino ordinare vel ab alio Latino Praesule ordinari facere. A ritu enim Latino ad Graecum, ut praediximus, nec transire nec redire fas est absque dispensatione Apostolica.

XXV. Hinc eadem literae dimissoriales potiore jure denegandae sunt Italo-Graecis, qui, quamquam baptizati ritu Graeco, non modo primam Tonsuram et minores Ordines latino ritu susceperunt, sed etiam latine vixerunt, et postea ad majores Ordines ritu graeco provehi cupiunt: nam Latinus ritus semel assumptus, ut praefati sumus, absque speciali Sedis Apostolicae auctoritate deserere nequit: ut igitur Italo-Graeci hujusmodi ad ritum Graecum redeant, indigent Apostolica dispensatione; ut vero ad majores Ordines ritu latino ascendant dispensatione non indigent.

XXVI. Etsi expetendum quam maxime esset, ut Graeci, qui sunt in Sacris Ordinibus constituti, castitatem non secus ac Latini servarent: nihilominus, ut eorum Clerici, Subdiaconi, Diaconi et Presbyteri Uxores in eorum ministerio retineant, dummodo ante Sacros Ordines, Virgines, non Viduas neque corruptas, duxerint, Romana non prohibet Ecclesia. Eos autem, qui Viduam vel corruptam duxerunt, vel ad secunda vota, prima Uxore mortua, convolarunt, ad Subdiaconatum, Diaconatum et Presbyterum promoveri omnino prohibemus.

ab accubitu Pontifex et conversus ad Ordinandos eos benedicit, prout post Litanias infra ponitur . . . deinde dicit Orationem ordinariam cum alia pro Ordinandis, quibus dictis ordinat ad Subdiaconatum. Hactenus Rubrica, qua posita successivae actiones sunt (nisi intercipientur benedictione Fontis et administratione Baptismi) Prophetiae et Litaniae: nec locus est admonitioni faciendae Promovendis ad Subdiaconatum, quae fieri debet, dum Pontifex post Orationem et Collectam ad eorum Ordinationem procedit, quin repetendae sint Litaniae, quia super promovendis ad S. Ordines pronuntiatae jam sunt formulae benedictionis, sanctificationis et consecrationis. Hic autem forte aliquis interpellat, inquit, benedicendine, sanctificandi et consecrandi sunt Promovendi, priusquam moneantur, an velint, constantes in proposito, saecularibus votis renunciare? Brevi me possem expedire responso, quod, ubi lex non excipit, non limitat, nec nos excipere vel limitare debemus. Non enim agitur de casu non praevisto, cum quo generalis regula nequeat componi, Rubrica rationem habuit Ordinationis peragenda Sabbato S., diversamque dedit dispositionem quoad tempus Ordinibus conferendis destinatum. Jubet namque, ut vidimus, in Litanis, quae Missae praemittuntur, ad S. Ordines promovendos esse benedicendos; mox inchoandam Missam, initiatisque ac promotis ad minores gradus Clericis, lectaque Oratione ad Ordinationem Subdiaconorum deveniendum; nec tamen ullum occurrit verbum de anticipanda monitione. Et jure quidem, nam formulae benedictionis etc. deprecatoriae sunt, et Ordinationi nullatenus essentialis, nec jugum imponunt; quamobrem promovendi ad Subdiaconatum, si prolatis super iisdem praefatis formulis a proposito velint resilire, liberum

adhuc illis est. Itaque, cum certum sit admonitionem, collatis jam minoribus Ordinibus, faciendam esse promovendis ad Subdiaconatum, nihil immutandum est, nec ab hac generali dispositione recedendum. Quod si admonitio fieri deberet hac die ante Litanias, ut in Ordinationibus, quae habentur aliis statutis ab Ecclesia temporibus, procul dubio indicaretur in rubrica speciali de Sabb. S., quemadmodum eadem jubet benedici Ordinandos in Litanis, quae hac die Missam immediate praecedunt. Admonitio igitur faciendae erit immediate, antequam Subdiaconatus Ordo conferatur, servandaque Rubrica specialis posita in Pontificali pro Ordinatione peragenda in Sabb. S., prout S. C. servandam esse respondit.

Vd.: *Ordatio priv. in Sabb. s.*

16) Missa.

a) Quae?

In Ordinationibus, quae fiunt Sabbato quatuor temporum, tametsi occurrat aliquod festum duplex, missam celebrari debere de feria cum Oratione pro Ordinandis et reliquis Suffragiis sine commemoratione Sancti currentis. In missa Ordinationum praedicta, etiamsi occurrat festum duplex, faciendae consueta Suffragia ac missam, prout jacet, ac si non esset festum duplex, celebrandam. n. 1862 die 26. Jan. 1658.

Ad dubium: An occurrente festo duplici in Sabb. 4 temp. missa, in qua conferuntur Ordines generales, esse debeat de festo an de temporibus?

S. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam. n. 3774 ad 1 die 27. Aug. 1707.

Missa ad Ordines celebrandos in temporibus dicenda est de feria, extra tempora de festo currenti, etiamsi Ordinationes non sunt generales sed particulares, ut de Diaconatu aut

Presbyteratu solum. n. 2749 ad 7 die 28. Septbr. 1675; n. 4153 ad 2 die 21. Martii 1744.

In feriis et Sabb. s. quatuor temporum occasione festi currentis 9 ll. debent in Cathedr. cantari duae missae; potest per Canonicos cantari illa de festo, per Episcopum facientem Ordinationem cantari vel saltem celebrari altera de feria in paramentis violaceis. n. 2828 ad 4 die 10. Julii 1677.

Episcopus volens in die Sabb. s. Ordines conferre, praestare hoc non valet, Sacrum *privatim* peragendo in proprii Palatii Sacello vel alibi. n. 3621 die 18. Martii 1702. (Vd. infra de cr. n. 4153.)

Ad dubia: 1. An occurrente festo dupl. cujuscunque classis aut solemnitate in Sabb. quatuor temp. aut ante dominicam Passionis missa pro explenda Ordinatione debeat aut possit celebrari de festo an vero de tempore?

2. An, idem dicendum in semid. et in casu, quo in istis festis dicenda sit missa de Sancto, possit ex causa Ordinationis legi missa de tempore, sicut potest ex justa causa celebrari missa vol. in praedictis festis? *)

3. An, si missa celebranda sit de tempore, debeat fieri commem. de Sancto, cujus fit Officium, an vero debeat dici prout in Ordinario, sicut in Ecclesiis Cathedr., ubi duae missae celebrantur in praefatis diebus?

4. An Episcopo Ordinationes tenente in *Cathedrali* vel *Collegiata*, ubi canuntur duae missae, de festo et de feria, possit Ordinationem habere in missa de festo, an vero debeat fieri in missa de feria?

*) Hoc decretum intelligi debet, etiamsi missa privatim et sine can'tu ab Episcopo Ordines conferente dictis diebus celebretur et contraria consuetudo est abolenda. n. 4320 ad 1 et 2 die 11. Febr. 1764.

S. C. resp.

Ad 1.: Missam pro explenda *generali* Ordinatione esse dicendam de tempore, non omitta tamen juxta rubricas illa de festo occurrente.

Ad 2.: Ut ad primum.

Ad 3.: Provisum in secundo.

Ad 4.: Ordinationem habendam esse in missa de feria.

N. 3995 ad 1—4 die 31. Jan. 1731; n. 4091 ad 3 die 11. Julii 1739.

In Sabbato s. pro collatione s. Ordinum Episcopus in suo domestico Oratorio tenetur missam cum prophetiis ut in Missali celebrare. n. 4153 ad 1 die 21. Martii 1744.

Ad dubium: Cum Sabb. s. unica tantum in quavis Ecclesia missa cantata admittatur, an Episcopus in priv. Capella possit Ordinationem sub missa *lecta* servare? et an debeat post Communionem pro vespere *Alleluja, Vespere autem etc., Laud. Dom. etc., Magnificat etc.* dicere?

S. C. resp.: Ad mentem; mens est, ut hoc dubium ulterius non proponatur. n. 4205 ad 6 die 20. Septbr. 1749.

Vd.: *Ordatio ad Presbyterat.* (ritus missae etc.); *Prophetiae; Oratio in Ordinationibus.*

b) Quis legat?

Cf.: *Episcopus aegrotus et inhabilis.*

Episcopus Nemausensis in Gallia, quamvis annum octuagesimum septimum agat, bona tamen valetudine atque intellectualibus facultatibus integre gaudet, quapropter enixe requirit: Utrum alio Sacerdote Missam celebrante, sibi in scamno sedenti Clericis suae Dioec. Ord. s. conferre liceat, ne Clerici ipsi cum gravi incommodo adigantur ad conterminos Antistites accedere pro Ordinatione?

S. C. resp.: *Non licere.* n. 4819 die 23. Sept. 1837.

Ad petitionem Episcopi Nicopolitani, ut septuagenarius, quocumque podagra detentus missam conficere nequieverit, possit nihilominus s. Ordines conferre inter missarum Solemnia alio Sacerdote celebrante, ut ita Ecclesiae necessitati possit satisfieri, cum non adsit in dicta Dioecesi alter Episcopus nec extra illam, nisi ultra trecenta milliaria et tanto itineris incommodo nemo velit se exponere?

S. C. resp.: *Nihil.* n. 1902 die 8. Junii 1658; n. 2034 die 24. Jan. 1660.

17) Oblatio.

Quum in Pontificali Rom. praescribatur ut in S. Ordinibus quisque ex Ordinandis offerat Ep. Ordinati Cereum post Offertorium, quaeritur: an tolerari possit consuetudo, ut Cerei offerantur extincti vel potius offerri debeant accensi, ut in ipso innuitur Pontificali?

Emi vero ac Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi ... rescribendum censuerunt:

„Sufficit ut unus in quolibet Ordine accensum offerat Cereum juxta consuetudinem.“

Atque ita rescribendum et servandum mandarunt. n. 5000 ad 5 die 7. Decb. 1844.

Ad dubium: An Ordinatis Episcopo Candelam offerentibus post Offertorium tolerari possit usus, ut una tantum Candelam accendatur, quae a singulis Ordinatis Episcopo offeratur?

S. C. resp.: „Affirmative.“ n. 4669 ad 7 die 12. Novb. 1831.

18) Oratio.

Oratio — Postcommun. — pro collatione ss. Ordinum verbis: *Quis vivis etc.*, non: *Per Dom. etc.* concludendum est. S. R. C. 25. Sept. 1860. Cf.: *Missale* (Correctio F. n. 51.).

19) Poenae contra Clericos male aut simoniace promotos et Episcopos et alios in ordinum collatione peccantes.

Vd.: *Constitutio PP. Sixti V. die 5. Jan. 1588* in Bull. rom. t. II. p. 711 (ed. Luxenbg.).

Pius PP. II.

Hac constitutione perpetuo valitura statuimus et ordinamus, quod omnes et singuli, qui absque dispensatione canonica aut legitima licentia sive extra tempora a jure statuta, sive ante aetatem legitimam vel absque dimissoriis literis etiam citramontanis, ad aliquem ex ss. ordinibus se fecerint promoveri, a suorum ordinum executione ipso jure suspensi sint et si hujusmodi suspensione durante in eisdem ordinibus ministrare praesumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. Praeterea ultra alias poenas in tales generaliter a jure inflictas beneficiis eccles. possint jure privari.

Datum Romae 17. Novb. 1461.
(Bull. rom. t. I. p. 273.)

Moderationem Constitut. Sixti V., vd.: *Constitutio Clem. VIII.* de die 28. Febr. 1595 (*Ibid.* t. III. p. 60.); *Const. Urbani VIII.* de die 11. Decb. 1624 (*Ibid.* t. IV. p. 81.). Vd.: *Indult.* (revoc. VII.)

20) Ad Presbyteratum.

a) Calix tangend.

Vd.: *Subdiaconatus* (calix tang.; decr. n. 4565. ad 7. 3tio); *Ordinatio ad Presbyt.* (Defectus in calice tang.)

b) Consecrantes et Communicantes.

Vd.: *Missae* (interrupta per mort. Sacerdot.; *In voto P. Al. Joni.*; *Ordinatio Graecor.*)

c) Defectus Hostiae.

(Conc. Trid. C. 3. Sess. 23. De Sac. Ord.; C. 8. Sess. 23. De refor.)

Ordinis Capuccinorum.

Tribus abhinc annis in Ordinatione habita in quadam Ecclesia inter alios promotus fuit ad Sacerdotium Fr. Joannes Petrus a Varesio Ordinis Capuccinorum, qui, cum deberet tangere materiam requisitam ad dictum Ordinem recipiendum, advertit in *Patena non adesse hostiam*. Is vero tacuit, credens ex simplicitate ita practicari in dicta Ecclesia, fortasse vigore alicujus Privilegii, subindeque nil dubitans de validitate Ordinis per tres circiter annos celebravit. Cumque postmodum in Conventu existens, perpenso casu, agnovit, hostiam fuisse necessariam supra patenam, tanquam materiam proximam, quam bene recordatur defecisse, prout idem affirmat alius Correligiosus in eadem Ordinatione, cum eo ad Presbyteratum promotus, pro serenitate conscientiae supplicavit declarari, quomodo in praemissis esset consulendum et quatenus nova Ordinatione indigeret absolvi et dispensari super Irregularitate forsitan incursa, ob praefatam triennalem celebrationem.

Procurator Generalis Ordinis pro informatione requisitus retulit Oratorem probum esse religiosum rectique iudicii et conscientiae non scrupulosae, proindeque censet ab eodem exposita habenda esse vera, potissimum accedente testimonio praefati alterius Correligiosi ordinati, qui eadem testificatur, ac ipsius Oratoris exhibitione omnia supranarrata jurejurando comprobandi. Relata causa per Summarium sub die 19. Novembris Anni superioris rescriptum fuit: *Pro nova ordinatione sub conditione et cum absolute ab irregularitate ad cautelam.*

Modo iterum recurrit Orator ad hanc S. C., cui adhaeret idem Procurator Generalis Ordinis, pro declaratione: an debeat dicta Ordinatio in Presbyterum reiterari in totum vel solum

quoad omissa, anve fieri valeat in diebus festivis privatim vel fieri debeat in publicis Ordinationibus. His porro suas itidem preces adjecit Frater Seraphinus a Coduneo, qui est alter Religiosus, ut supra ordinatus, quique pariter cum eadem certitudine eundem defectum materiae coram Superiore affirmavit, ac de eo circa probitatem et conscientiam scrupulis non agitatam, Procurator Generalis, quemadmodum de altero asseverat, unde cum omnia haec fuerint per Summarium deducta in antecedenti Congregatione, injunctum fuit ab Eminentissimo Praefecto, ut causa poneretur in folio, prout hodie parendo mandatis proponitur decidendum summae prudentiae EE. VV. infrascriptum dubium: *An et quomodo in praemissis sit consulendum in casu?*

S. C. C. resp.: *Non proposita.*

Die 14. Jan. 1708.

d) Defect. in collatione potestatis remittendi etc. peccata.

Vivarien.

Reverendissime Domine uti Frater.

Dum in S. R. C. expendebantur Dubia Amplitudinis Tuae nomine exhibita SSmo D. N. Gregorio Papae XVI. literis De-La-Valette Vicarii tui Gen. datis Vivarii die 20. Julii 1840, ac jam duo Consultores Theologi fuerant requisiti ut summum emitterent Votum circa validitatem Ordinationis cujusdam Presbyteri, in qua incaute vitiata fuit forma collationis Potestatis remittendi vel retinendi peccata, certum nuncium pervenit a Cong. Gen. S. Rom. et Universalis Inquisitionis sub die 27. Maji 1840 casum apprimè similem discussum ac definitum fuisse, accedente etiam ipsius SSmi D. N. adprobatione et Apostolica confirmatione. Itaque tunc emissam resolutionem Amplitudini tuae

XXVII. Praeterea si quis Subdiaconus, Diaconus vel Presbyter post Sacram Ordinationem, Uxore mortua, aliam duxerit, vel si Uxorem non habebat, ducere praesumpserit, nedum excommunicationis latae sententiae poena aliisque nostro et Successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis severissime punietur; verum etiam statim ab Ordine erit deponendus et ab illegitima Uxore separandus. Matrimonium enim post recensitos Ordines contractum nullum irritumque declaramus.

XXVIII. Presbyter Graecus conjugatus, antequam ad Sacrum Sacrificium seu sanctam Missam celebrandam accedat vel per hebdomadam vel per triduum ab Uxore curet abstinere.

Constit. Bened. XIV. 26. Maii 1742 (Bull. r. t. XVI. p. 98).

Pius PP. VI.

Commissa Nobis divinitus ecclesiarum omnium sollicitudo postulat, ut quae a praedecessoribus Nostris vel instituta vel incoepa sunt ad orthodoxae religionis uberiores progressum, praesidium et decus libenter confirmare servareque conemur, et, quantum in Domino possumus, ad optatum exitum perfectionemque deducamus.

Cum itaque, sicut ex indubiis monumentis accepimus, venerabiles fratres Nostrae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales negotiis propagandae fidei praepositi usque ab anno 1718 instantibus alumnis collegii Graecorum de Urbe aliisque piis viris ac religiosus in animum habuerint consulere spiritualibus indigentibus Italo-Graecorum seu Albanensium, quorum maxima copia est in regnis utriusque Siciliae et in Calabria praesertim, titularem ibi Archiepiscopum seu Episcopum iis in locis constituere, qui nonnullis ab-

usibus in Graecum ritum invecis salutaria compararet remedia omniaque ad pristinum nitorem constitueret eisdemque Italo-Graecos seu Albanenses Graecarum literarum sacrarumque caeremoniarum proprii ritus omnino expertes instrueret et ad sacros Ordines promoveret.

Cum proinde fel. rec. Clemens PP. XII. praedecessor Noster in Bisiniansi dioecesi seminarium seu collegium ecclesiasticum Corsinum nuncupatum pro certo puerorum Italo-Graecorum in illo instruendorum et alendorum numero perpetuo erexerit dotaveritque, deinde vero ejusdem collegii regimen et administrationem perpetuo commiserit Antistiti Graeci ritus in partibus infidelium, quibusdam ei attributis facultatibus, illaque inter caeteras, ut Antistes praedicti collegii praeses pro tempore existens in ejusdem collegii ecclesia omnia et singula pontificalia exercere posset, et ad sacros ordines promovere non tam dicti collegii alumnos quam alios quoscumque Italo-Graecos utriusque regni Siciliae citra et ultra Pharum incolas, prout in decretis praedictorum venerabilium fratrum Nostrorum die 23. Decembris et 4. Februarii 1735 ab eodem Clemente Praedessore Nostrae confirmatis duabus apostolicis literis in forma Brevis, alteris sub datum 4. Idus Junii 1735 incipientibus „*Superna dispositione*“, alteris sub datum pridie Kalendas Aprilis 1736 incipientibus „*Provida pastoralis officii*“ latius uberiusque continetur.

Cum autem praecipua ratio, quae laudatos viros venerabiles fratres Nostrae eundemque fel. rec. pontificem Clementem Praedecessorem impulit, ut Antistiti Graeci ritus in praesidem memorati collegii in eadem Bisiniansi dioecesi sic electo et constituto mox expressam tribueret facultatem pro cunctis Italo-Graecis in utraque

Sicilia degentibus, in hoc versetur, ne juvenes Italo-Graecae gentis hujusmodi pro dictis sacris ordinibus accipiendis incommoda et expensas amplius subire tenerentur accedendi ad Urbem Nostram ibique ab Episcopo Graeci ritus ad id muneris explendum per sanctam Sedem constituto eosdem ordines suscipere juxta praxim ad illud usque tempus servatam et ad formam constitutionis fel. rec. PP. Urbani VIII. Praedecessoris itidem Nostri desuper editae, cui quoad hoc Clemens praefatus XII. expresse et specialiter derogavit, reliquum erat, ut quemadmodum hujusmodi Graeci Antistitis in Bisiniansi dioecesi perpetuo residentis deputatione consultum fuerat Graecorum in Calabria degentium commodo et emolumento, ita quoque deputatione alterius Antistitis titularis ejusdem Graeci ritus, qui in Sicilia ultra Pharum residens Italo-Graecis eam insulam incolentibus sacros ordines conferre valeret cum literis dimissorialibus Ordinariorum respective suorum, eorundem in eodem Siciliae regno atque insula commorantes aegreque ferentes pro sacris ordinibus suscipiendis longum aerumnosumque aggredi iter accedendi vel ad hanc Nostram Urbem vel ad Bisiniansensem dioecesim, ubi unicus degit Antistes Graeci ritus, jamdiu vehementer optabant, id nuperrime sunt consecuti pietate ac munificentia charissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi utriusque Siciliae regis, qui ut facilius a Nobis obtineret deputationem alterius Antistitis titularis Graeci ritus in Sicilia ultra Pharum perpetuo permansuri, ibi sacros ordines collaturi hominibus ejusdem ritus eam insulam incolentibus cum literis dimissorialibus respectivorum Ordinariorum, rogavit, ut eidem Antistiti pro tempore existenti pro ejus congrua juxta pontificalis dignitatis existentiam, sustentationem, abbatiam s. Mariae de

Gala sui regii patronatus perpetuo adiceremus, quam nunc obtinet dilectus filius Petrus Petrasancta in commendam ad sui vitam ex regia nominatione nec non ex concessione et dispensatione apostolicis praedicto Antistiti Graeci ritus, ut praefertur deputando, donec eadem abbatia vacare contigerit, administrationem et redditus vacantis beneficii sancti Pancratii Latini ritus interea a Nobis assignari posse consentit.

Nos igitur, qui et piissime praedicti regis voluntati obsecundare et quam plurimis incommodis atque expensis hactenus importatis per defectum Antistitis Graeci ritus in Sicilia ultra Pharum residentis dilectis filiis Italo-Graecis in eodem regno commorantibus sacris ordinibus initiandis parcere vehementer cupimus, motu proprio auditoque etiam consilio venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium praefatae Congregationi de Propaganda fide per dilectum filium Stephanum Borgia ejusdem Congregationis Secretarium exhibito Antistitem Graeci ritus in partibus infidelium, qui apud Ecclesiam sibi commissam impia eorundem infidelium sic cogente tyrannide personaliter residere non valens in regno Siciliae ultra Pharum resideat ibique Italo-Graecis ejusdem regni incolis dimissoriales suorum respective Ordinariorum literas sibi exhibentibus sacros ordines in ecclesia S. Demetrii loci vulgo della Piana Panormitanae dioecesis absque ulla Ordinarii ejusdem loci Archiepiscopi, nempe Panormitani licentia, in aliis vero ecclesiis tum Panormitanae tum aliarum dioecesium de Ordinariorum licentia, conferre atque alias ecclesiasticas functiones Graeci ritus peragere valeat tenore praesentium perpetuo constituimus et deputamus eidemque Antistiti pro tempore existenti et ab eodem charissimo

in Christo filio Nostro Ferdinando utriusque Siciliae rege ejusque successoribus nominando vigore sui regii patronatus supradictam abbatiam sanctae Mariae de Gala in dioecesi Messanensi, quam in praesens in commendam obtinet dilectus filius Petrus Petrasancta, cum vacare contigerit, nunc pro tunc perpetuo addicentes interimamque administrationem perceptionemque fructuum vacantis beneficii sancti Pancratii Latini ritus regiique patronatus, queis donec praedicta abbatia vacare contigerit, se alere valeat propriamque dignitatem tueri regio accedente consensu indulgentes et condonantes eas omnes facultates concedimus et impertimur, quoad sacras ordinationes Italo-Graecorum regni Siciliae ultra Pharam, quas fel. rec. Clemens PP. XII. concessit Antistiti Graeci ritus in seminario Corsino a se in Calabria erecto degenti in suis superlaudatis apostolicis literis in forma Brevis, quibus quoad ordinationes dumtaxat Italo-Graecorum regni Siciliae ultra Pharam hac Nostra perpetuo valitura constitutione expresse ac specialiter derogatum volumus; iisdem apostolicis literis quoad reliqua in suo robore permansuris.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque, quae in praefatis Clementinis literis non obstare fuerit decretum.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 6. Febr. 1684.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 257. Ed. Rom. 1843.)

12. Cleri Ritus Graeci-Rutheni ab Episcopo Ritus Latini facienda.

Ordinationes omnium Clericorum et Sacerdotum ritus Graeco-Rutheni a Serviano schismate ad Ecclesiae sinum redeuntium Episcopo Auxerensi delegantur.

Venerabili Fratri Matthaeo Episcopo Auxeren.

Benedictus PP. XIV.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem.

E sublimi Sedis Apostolicae specula circumspicientes Dominicum Gregem a Pastorum Principe tenuitati praecipue nostrae commendatum ea providere curamus, quae in unaquaque ejus parte ad salutem conservandamque spiritualem vitam conferre possunt.

§. 1. Quodcum propositum sit Nobis et modo intelligamus, opportunum esse, ut, qui in Dalmatiae dioecibus a Serviano schismate ad verum Christi Ovile redierunt aut redituri sunt, Sacerdotes et ecclesiasticae Hierarchiae reliquos habeant a Catholico Episcopo consecratos Graeco ipsorum Rutheno ritu, quocirca, ut quotquot inter suae gentis Catholicos Clericali Militiae dare nomen cupiunt, a schismatico Antistite initiarentur, hanc abrupte absurdam nimis et sacris Canonibus vetitam consuetudinem constituimus, adacti metu, ne, non penitus discissa cum morboris Pseudo-Episcopi societate, occulte venenum hauriant, in caeteras Oves dispergendum, nec bona deinceps utantur valetudine.

§. 2. Huic ut occurramus periculo utque frequentissimae illorum Paroeciae a Parochis prorsus Romanae Catholicae Ecclesiae conjunctis administrantur, optimum visum est, dare alicui Latino Catholico Episcopo, qui eam linguam et caeremonias calleat, facultatem cooptandi in ecclesiasticos Ordines eodem Graeco-Rutheno ritu, non solum in propria sed etiam in alienis dioecibus Dalmatiae, Veneto imperio subjectis, habito primum consensu ab Ordinariis, quotquot, Dimissorialibus a proprio Antistite acceptis, ejus populi Paroecias aliaque sacra Ministeria curare debent: Quo tempore

atque occasione ipsi Latino Episcopo Pontificalia consimili Graeco-Rutheno more exercere liceat. Hanc modo facultatem tantumque munus agendum tribuimus fraternitati tuae, quam scimus lyterarii Illyrici sermonis, ab eatione ad sacras functiones adhibiti, peritam esse, pollere simul non mediocri prudentia ac religione, unde sperandum sit, eos, quibus manus imposueris, bene ac sollicite officio suo defuncturos esse.

Id autem ut feliciter pergas, apostolicam benedictionem Tibi, venerabilis frater, peramanter impertimur.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. dioecesis, sub annulo Piscatoris, die 4. Octobris 1742.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 211.)

13) Intentio Ordinantis.

Vd.: *Ordin. Minor.* (furtive Ordinati, decr. *Perusina; Urgentina*).

14) Lumina in altari.

Ad dubium: In Ordinatione unius Subdiaconi legitur in Rubrica: *Quatuor Candelabra cum Cereis* etc. Quot ergo Candelae in altari sunt accendendae, si Missa Ordinationis non fiat in cantu?

S. C. resp.: „In Ordinatione privata possunt accendi quatuor Cerei ut in Rubrica, sed in Ecclesia et publica Ordinatione septem, ut in Missa Pontificali.“ n. 4669 ad 8 die 12. Nov. 1831.

15) Litaniae.

Ad dubium: An in Ordinatione Generali, quae fit Sabbato S., facienda sit monitio promovendis ad Subdiaconatum ante Litanias vel postea?

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Servetur Pontificalis hujus diei rubrica.“

Atque ita respondit et servari mandavit die 28. Julii 1821.

Facta autem de praemissis omnibus SSmo D. N. Pio VII. P. M. per infrascriptum S. R. C. Secretarium relatione, S. S. S. C. responsum adprobavit confirmavitque, atque, ut ab omnibus servetur, in acta ejusdem C. referri typisque evulgari praecipit. N. 4583 ad 4 die 31. Junii 1821.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

In Pontificali Romano distinctae sunt Rubricae, quae methodum praescribunt in Ordinibus conferendis omnino servandam, et licet non differant quoad substantialia, pro temporum tamen ratione a generali regula tantillum divertunt et accidentalem aliquam varietatem ponunt, sic exigentibus s. actionibus, quae simul eadem die concurrunt et successive peraguntur. Ideo in Sabbatis quatuor temporum, quia Prophetiae ad Missam et Ordinationem stricte pertinent, initiantur Tonsurandi post *Kyrie eleison*, et minores Ordines inter unam alteramque ex primis quatuor prophetiis conferuntur. Antequam Pontifex ultro procedat, sistentes ante se Promovendos ad Subdiaconatum gravibus verbis admonet, ut serio cogitent, quid acturi sunt, priusquam libertatem amittant transeundi ad vota saecularia: mox Archidiaconus jubet, ut accedant, qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri, incipiuntque *Litaniae* etc. Verumtamen, si Ordinatio fiat Sabbato S., quum prophetiae, quae simul ad Baptismum et Ordinationem pertinent, Missae permittantur, sine mora (nisi Fons benedicendus sit) Cantores intonent Litanias; rubrica diversam dat dispositionem. *Si vero Sabbato S. Ordinationes fiant, Officium incipitur a prima prophetia, et continuatur, prout in ordinario usque ad Litanias inclusive, in quibus dicto: ut omnibus Fidelibus etc. surgit*